

negat Catholicum. Id apprimè intelligebat Elcasmus 2. Mach. 6. qui recusavit carnes porcinas manducare; & ita semper intellexit Ecclesia, eo quòd Libellaticos tamquam reos negate fidei habuit, eò quòd pecunia obtinerent libellum restantem ipsos sacrificasse Idolis (quod tamèn non fecerant), ut sic se a tormentis redimerent.

Si petas, quandonam in praxi quis censeatur facto simulare, aut profiteri exterius falsam Religionem? R. & sit Regula generalis: Usurpare signa, ritus, ceremonias, vestes, actiones, quæ sunt primario distinctiva sectæ a secta, seu quæ sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primario significativa professionis falsæ fidei, est illam falsam fidem exterius profiteri, & ideo nunquam licitum. Quæ verò distinguunt primario, non sectam a secta, sed gentem a gente, seu per accidens tantum indirectè & secundario sunt significativa professionis falsæ fidei, quamvis sint vitanda, ne demus aliquibus occasionem credendi, nos negasse fidem; subsistente tamèn justa necessitate causa huic deceptioni præponderante possunt licitè usurpari; quia hoc non est absolutè falsam fidem profiteri. Ex hac regula, ritè intellecta & applicata, multos casus resolvit. Quosdam referam. Hinc igitur inferes 1. flectere genita coram Idolo, ei thus adolere, etiam si intentio dirigatur ad oculum crucifixum, gestare imaginem Mihumeti in collo appensam, surere Connam Calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram Ministro benedicente nuptias secundum ritum sue sectæ, nunquam esse licitum; quia hæc sunt primario distinctiva sectæ a secta, & primò per se falsæ religionis significativa.

Dices 1. Naaman Syrus, permittente Eliseo, simulavit adorare cum Rege Idolum in Templo Remmon 4. Reg. 5. Jehu ibid. 10. finxit, se velle adorare Baal, ut ejus Sacerdotes interficeret, & ibidem laudatur. S. Ambrosius Serm. 69. laudat S. Eusebium Vercellensem, qui simulavit se esse Ariarium, ut filium ab hac heresi avocaret, ergo. Ad 1. communis responsio est, quòd, quamvis Naaman usus sit verbo *Adorare*, alloquendo Eliseum, nihil tamen aliud petierit, quam ut filius præstare Regi obsequium civile, in aliis casibus etiam præstari solitum, scilicet Regem sustentare honoris causa, dum adoraret in Templo Remmon; quod non est magis illicitum, quam dum famuli Catholici comitantur Dominas, aut Dominos hæreticos ad Templum, deferentes eorum libros, sedes, extremitatem togæ, &c. hæc enim non sunt protestativa falsæ Religionis, sed obsequia civilia. Nec tamèn inde sequitur, esse pariter licitum sustentare hærum furantem; hæc enim sustentatio nullatenus ordinatur ad honorandum hærum; non enim fur assumit socium, ut honoretur, hæc ad solum finem malum, nempe, furtum, & ideo est mala. At sustentatio, de qua agitur, ex usu & institutione ordinatur ad honorandum Regem, & ideo non mala. Altera responsio, quæ videtur textui conformior, est, quòd Naaman non petierit ab Eliseo, an sibi liceret adorare, seu sustentare Regem adorantem, sed ut, casu quo id ad hinc faceret, quòd illicitum sciebat, Eliseus oraret, ut Deus ipsi ignosceret. Cui respondit Eliseus: *Vade in pace*: quasi dixisset: orabo pro te. Hunc sensum aperte indicat textus, qui sic est: *Hoc solum est*, inquit Naaman ad Eliseum, *de quo deprecaris Dominum pro servo tuo, quando ingredieris Domibus meis Templum Remmon, ut adoret, & illo inuito super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.* Ad 2. (Hic q. 111. art. 1. ad 2.) non est necesse, simulationem Jehu excusari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab Idololatria Jeroboam non recedens: commendatur tamèn & temporalitè remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro zelo, quò destruxit cultum Baal. Similiter ad 3. S. Ambrosius laudat in S. Eusebium zelum veræ fidei, sed non simulationem.

Inferes 2. e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam Turcicam, aut etiam quam *Turbantem* vocant, ad occultandam fidem. Quamvis enim nunquam licitum sit, fidem negare, licet tamèn eam quandoquè celare & dissimulare; nec illa vestis est primario ad distinctionem Religionis, sed Gentis; nec eam assumit Catholicus, ut eadem profiteri Religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi & inquirendi de Religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum, quæ non sunt destinatae præcisè usibus sue Religionis. Idem de eorum vexillis in bello, ut sic decipiuntur & vincantur. Propter datas rationes probabilibus arbitramur, quòd deferre in Italia pileum flavum, sicut referunt Judæi, non sit

simulare eorum Religionem, adeoque nec illicitum ex causa. Item licitum est, interesse sepulture Hæreticorum exhibendo eis honorem civilem. Item arbitramur, licitum esse in terris Hæreticorum ad evitandum grave malum, non audire Sacrum diebus Dominicis & Festis; & etiam, saltè probabilibus, edere carnes diebus prohibitis: quia, id posse Catholicos variis de causis, non ignorant Hæretici, adeoque nulla inde exterior & apparens fidei negatio: quòd si aliqui aliter suspicentur, per accidens est, & potest esse justa causa permittendi, seu negligendi eorum suspensionem. Excipe, nisi in contemptum Religionis ad id adigerentur, aut in professionem falsæ sectæ incitarentur. Item non est illicitum contrahere Matrimonium coram Magistratu hæretico, aut etiam Ministro, tanquam coram testibus tantum. Audire conciones Hæreticorum eo fine, ut eorum errores refutentur, seclusa prohibitione, aut scandalo, non est illicitum; ex levitate & curiositate, stantibus iisdem conditionibus, & simul secluso periculo observationis, est peccatum veniale tantum. Sicut enim Hæreticus audiens conciones Catholicorum non ideo censetur Catholicus; ita nec Catholicus audiens concione Hæreticorum censendus est Hæreticus. Item non est reus negatæ fidei, qui negat se esse Sacerdotem, aut Religiosum; potest enim esse Catholicus, & non Sacerdos, aut Religiosus. Secus, si negaret se Catholicum, aut Papatam, ubi nomine Papiste intelligitur Catholicus. Quantum ad Idololatriam; propter scandalum non licet ea manducare: secluso scandalo, licet: ita colligitur ex Apost. 1. Cor. c. 8. & 10.

Inferes 3. contra Tertullianum, non esse per se illicitum fugere in persecutione; quia, non est ibi negatio fidei, quin potius quædam ejus Professio; per hoc enim testatur fugiens se esse fidelem, et ne fidem in tormentis perdat, se patriam, bona, parentes et amicos derelinquere. Id nedum verbo docuit Christus, dicens Matth. 10. *Cum persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, sed et facto confirmavit, fugiens Judæos volentes eum lapidare: cujus exemplum imitatur S. Paulus in sporta dimissus 2. Cor. 11. S. Petrus educus & carcere ab Angelo, S. Athanasius, et plures alii Sancti. Idem dic de solutione multæ impositæ Catholicis a Rege hæretico. Dixi, *per se*; quia per accidens posset esse illicitum fugere, ut si Pastor esset necessarius ovibus, fugere non posset, etiam si mors immineret; nam *Bonus Pastor animam ponit pro ovibus suis*. Etiam e converso posset esse per accidens obligatio fugiendi, puta, si vita fugientis esset necessaria bono communi.

§. II. De præcepto actus fidei externi affirmativi.

Dico: (Hic q. 3. a. 2. o.) ex præcepto Christi tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri. Prob. Christus Matth. 10. dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego cum coram Patre meo*. Luc. 9. *Qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet*. Et Apost. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*: ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Auctor hic (*Ibid.*) duos casus assignat, in quibus hoc præceptum affirmativum fidei confitendæ obligat, scilicet: *Quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilis proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset, vel alii per ejus tacurnitatem averterentur a fide*. S. Doctorem sequuntur omnes Theologi, et merito; supposito enim præcepto fidei confitendæ aliquando obligante, non possunt assignari casus, in quibus urgeat magis ejus observatio, quam hi duo, quos assignat S. Thomas.

Rectè observat Sylvius verbum *Subtractionis* apud D. Thomam non accipi merè negativè pro eo, quòd est non exhibere honorem Deo, vel non impedire utilitatem proximo: alioquin confessio fidei semper esset in præcepto, si quidem, dum exerceatur, Deus honoratur; et dum omittitur, aliquis honor subtrahitur Deo: sed accipi, contrariè, aut privativè, ita scilicet quòd censetur subtrahi honor Deo debitus ex defectu confessionis, quando inde vel Deus magna afficitur injuria, vel magnus aliquis honor, qui ad eum pervenire poterat ex confessione, negligitur. Similiter utilis proximo impendenda subtrahitur, quando per omissionem confessionis aliquis a fide avertitur vel retardatur, aut aliquo magno commodò spiritali privatur, de quo non potest opportunè aliter pro loco

loco & tempore provideri.

Hinc inferes 1. Interrogatum de fide ab auctoritate publica, sive privata, sive publice, teneri etiam cum periculo vitæ ingenue, sine tergiversatione & ambiguitate respondere, & fidem confiteri: non quia Tyrannus habet verum jus interrogandi; sed quia est præceptum Christi locis citatis in probatione: præsertim enim loco citato Matth. Inbeant nos non timere eos, qui occidunt corpus, quòd intelligi non potest de non neganda fide pro conservanda vita, sed de confessione expressa: paulo enim ante ibidem dixerat: *Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagoga suis flagellabunt vos; & ad Præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis & Gentibus*. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. *Loquendum ergo, non tacendum*. Insuper, quid hoc esset aliud, quam Christum & ejus sermonem erubescere? Et ita semper intellexit Ecclesia in Martyribus, qui a Tyrannis interrogati fidem confessi sunt cum vitæ dispensio. Et ratio est; quia ex confessione fidei in hoc casu magnus honor obvenit Deo & fidei, fideles in ea firmanantur, & sæpè infideles convertuntur; eum contra, si omittatur, magna Deo & fidei irrogatur injuria; & infirmi in fide vacillant. Cum enim Infideles apprehendantur, Christianos in hoc casu teneri fidem confiteri, ex omissione statim credunt, eos non habere fidem, aut fidem non esse veram. Unde merito damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogatur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacerè, ut peccatissimum non damno*. Est 13.

Dixi *a potestate publica*; quia interrogatus ab aliquo privato, per se loquendo, & secluso scandalo, non tenetur confiteri, sed potest uti æquivocatione, aut dicere: quid a te?

DISSERTATIO IV.

DE HABITU, SUBJECTO, CAUSIS, ET EFFECTIBUS FIDEI.

D. Thom. Q. 4. 5. 6. 7.

ARTICULUS I.

De habitu Fidei. Per questionibus.

Petes 1. Utrum Fides rectè definiatur ab Apost. Hebr. 11. *Sperandarum substantiâ rerum, argumentum non apparentium*. (Hic q. 4. a. 1. o.) R. Hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimum; quia continet omnia, quæ pertinent ad Fidei definitionem, ut patet ex sequenti explicatione. Dicitur (*Ib.*) *substantia, græcè hypostasis*, seu substantia; partim quia fides est inchoatio, basis, & fundamentum spei nostræ; substantia enim est substratum omnibus qualitatibus; partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certò assentire, ac si essent præsentia. Dicitur (*Ib.*) *argumentum non apparentium*; sumpto argumento pro ejus effectu, seu ut habet alia littera convictio. Sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhaerendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmitè adheret veritatibus, non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis. Dicitur non *apparentium*; tum quia objectum Fidei est non visum; tum ut significetur, plura ad fidem pertinere, quæ non sperantur, ut sunt bona præterita, & mala peccatoribus obventura, v. gr. Inferna.

Per hanc definitionem (*Ib.*) Fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. Per hoc quòd dicitur, *substantia rerum sperandarum*, distinguitur a fide humani, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam. Per *Tò argumentum*, distinguitur ab opinione, suspitione, & dubitatione. Per *Tò non apparentium*, distinguitur a scientia & intellectu primorum principiorum. Si quis (*Ibid.*) ergo hæc verba in forma definitionis reducere velit, potest dicere, quòd Fides sit *Habitus mentis, quò inchoatur vita eterna in nobis, factus intellectum firmitè assentiri non apparentibus, propter auctoritatem Dei revelantis*: Et hæc definitio coincidit cum hac altera, quæ communiter circumferretur: *Virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmitè assentit auctoritati*.

Petes 2. Utrum fides sit in intellectu tanquam in subjecto?

quis te constituit Judicem? Tum quia non inde tantus honor subtrahitur Deo; tum quia Infideles non apprehendunt, fidem teneri in hoc casu fidem confiteri, sicut cum interrogatur ab eo, qui potestate publica fungitur. Unde ex negata confessione non reputant, ipsum carere fide, aut fidem non esse veram, sed ipsum hujusmodi interrogationem contemnere; sicque neque honor Dei, aut fidei, neque salutis proximi periclitantur. Neque etiam dicendum est erubescere Christum; quia non dicitur quis erubescere Christum, nisi qui ipsum non confitetur, quando tenetur confiteri.

Inferes 2. Videntem conculcari Eucharistiam, Crucifixum, Imagines, aut Reliquias Sanctorum, Deum, aut fidem contemni, hæreticis colloquiis adstantium fidem periclitari, teneri contradicere & fidem confiteri, si sic ista possit impedire. Sic enim exigunt honor Dei, indemnitas fidei, & salutis proximi.

Inferes 3. Quòd, si Princeps, aut Magistrus hæreticus præciperet, ut omnes Catholici se proderent, certam vestem, aut signum ferendo, quò dignoscerentur esse Christiani, hi non tenerentur obedire, nec sic suam fidem confiteri; quia istud præceptum foret nimis vagum, nec quis, nisi personalitè interrogatus, teneretur confiteri. Sicque apprehendunt ipsi Infideles. Unde nullus ex antiquis Tyrannis hunc modum dignoscendi Christianos adhibuit. Quapropter ex non observatione hujus legis non potest dici, inobedientes non esse Christianos, aut eorum fidem non esse veram, sicque honor Dei & fidei non periclitatur.

Hæc usque de præcepto divino fidem confitendi. Ex præcepto autem Ecclesiastico in Trident. Sess. 24. c. 22. de Reform. & in Bulla Pii V. *Sacrosancta*, tenetur professionem fidei edere omnes promovendi ad beneficia curam animarum habentia, & ad Canonicatus, aut Dignitates Cathedralis. Item Doctores & Professores in Academiis.

R. affirmativè (*Ib.*) quia credere, quòd est proprium fidei, est actus intellectus, cum versetur circa verum ut tale: spe quia fides pertinet ad intellectum secundum quòd movetur a voluntate, ut dictum est, Auctor addit debere etiam esse habitum in voluntate, scilicet charitatem, ut actus fidei sit absolutè & omnimodè perfectus, id est, ut naturalitè procedat ab utraque potentia, & sit meritorius; non tamèn ut sit perfectus in ratione assensus, ad hoc enim sufficit firma adhesio intellectus ex pia motione voluntatis absque habitu.

Petes 3. Utrum charitas sit forma fidei? R. (*Ib.* ad 3. o. & ad 2.) non esse formam intrinsecam & essentialem; hæc enim est ordo ad suum objectum; sed est forma extrinsecam & accidentalis, quatenus per charitatem fides, sicut omnes aliæ virtutes, ordinatur ad ultimum finem supernaturalem; sicque ex charitate habet, quòd suis actus sit perfectus & meritorius. Unde illud Jacobi: *Fides sine operibus mortua est*. Quamvis autem id verificetur etiam de aliis virtutibus, illud tamen Auctor specialitè docet de fide; quia in Scriptura justus dicitur prius & potius vivere ex fide, quam ex aliis virtutibus. Unde ut ostenderet, id habere ex charitate, quòd esset viva, docet specialitè, id habere ex charitate. Et hinc fluxit apud Theologos communis distinctio fidei in fidem vivam, seu formatam, & informem.

Petes 4. Utrum fides informis sit virtus? R. Quòd sit vera virtus, sed imperfecta. Prob. 1. Pars. Quia est principium boni actus, determinans intellectum ad assentiendum veritatibus revelatis. Unde, quamvis non faciat habitum simpliciter bonum in genere moris, quòd est proprium virtutis perfectæ; facit tamèn bonum in suo genere, scilicet intellectivo. 2. Quia competit ei definitio virtutis: est namque bona qualitas mentis, quæ bene vivitur; est enim, ut dicebam modo, principium boni actus, & quæ nemo ut principio male utitur. 3. Est idem habitus cum fide formatâ, ut mox dicam. Adde, præcepta non dari nisi de actibus virtutum; datur autem præceptum de actu fidei informis Hebr. 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est*.

Petes 2. Pars; (*Ibid.* art. 5. ad 3.) quia fides informis non facit hominem simpliciter bonum, licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad

finem ultimam, scilicet vitam aeternam; sicque non habet statum & modum perfectæ virtutis.

Dices contra 1. partem S. Th. hic quæst. 4. a 5. o. postquam dixit, fidem formatam esse virtutem, addit: *Fides autem informis non est virtus; quia, etsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis*: ergo. R. S. Thom. loqui de virtute perfecta. Id aperte constat ex eodem a. ad 3. ubi dicit, quod *fides formata & informis non differant specie sicut in diversis speciebus existentes; differunt autem sicut perfectum & imperfectum eadem specie*. Unde fides informis cum sit imperfecta, non pertinet ad perfectam rationem virtutis. Eodem sensu intelligendus est Aug. cum l. 4. contr. Jul. c. 3. dicit, non esse veram virtutem nisi in justo.

Petes 5. Utrum fides dicenda sit virtus intellectualis? R. S. Th. videtur negare in pluribus locis. Sed intelligit S. Doctor virtutem intellectualem illam, quæ perficit intellectum secundum proportionem naturæ, ut scilicet sit efficax ad objectum conspiciendum, vel in se, vel per resolutionem ad id, quod in se conspicitur, ut loquitur in 3. d. 23. q. 2. art. 3. q. 3. quo sensu fides, quæ est de obscuris, non est virtus intellectualis. At si accipiatur virtus intellectualis generaliter pro ea, quæ perficit intellectum in ordine ad verum, sive naturale, sive supernaturale, negari non possit, quod fides sit virtus intellectualis: cum certum sit, rerum divinarum cognitionem esse maximam illius perfectionem.

Petes 6. Utrum sit idem habitus fidei formatae, & informis? R. affirmative: patet ex D. Th. mox citato. (*Ibid. a. 4. o.*) Ratio est, quia habitus non distinguuntur nisi secundum illud, quod per se ad habitum pertinet; atqui distinctio fidei formatae & informis non sumitur secundum illud, quod per se pertinet ad fidem; sumitur enim secundum charitatem, quæ est in voluntate, cum fides sit in intellectu: ergo. Confirm. Fides formata & informis non differunt objecto: ergo. Hinc inferes, fidem manentem essentialiter eandem posse de formata fieri informem, ut dum iustus peccat mortaliter; & contra informem posse fieri formatam, ut dum peccator justificatur.

Dices. Animal mortuum non potest idem essentialiter manens fieri vivum; atqui fides informis est mortua: ergo. R. N. Conseq. (*Ibid. ad 2.*) Disparitas est, quod forma, qua animal est vivum, est ipsi intrinseca & essentialis, scilicet anima, & ideo mortuum non potest fieri vivum idem manens, sed est aliud specie, quod est vivum, & quod est mortuum. Sed forma, qua fides dicitur viva, non est ipsi intrinseca & essentialis, sed extrinseca, scilicet Charitas.

Inst. Opus mortuum non vivificatur: ergo nec fides mortua. R. N. Conseq. (*In 3. d. 23. a. ult. ad 1.*) Disparitas est, quod opus transeat, & ideo non potest iterum sumi, ut vivificetur; habitus autem fidei informis manet, unde adveniente charitate potest vivificari.

Petes 7. Utrum fides sit prima inter virtutes? R. (*Hic a. 7. o.*) esse primam per se ordine generationis, quia cognitio finis est prior ordine generationis eius intentione & electione; nihil enim voluit, quin præcognitum; atqui per fidem habetur cognitio finis, per spem & charitatem intenditur, & per virtutes morales eliguntur media: ergo. Hinc, juxta SS. Patres & Trid. Sess. 6. c. 7. *Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*.

Dixi, *Per se* (*Ibid.*) quia per accidens potest aliqua virtus esse prior fide, quatenus scilicet est removens prohibens; removere enim prohibens, pertinet ad causam per accidens. Sic fortitudo removens inordinatum timorem impediendum fidem, humilitas removens superbiā, per quam intellectus recusat se submittere veritati fidei, sunt per accidens priores fidei; non sunt tamen perfectæ virtutes, imo nec essentialiter Virtutes Christianæ, sine fide vel actuali, vel habituali. Dixi: *Ordine generationis*; tum quia possunt simul tempore infundi; tum quia ordine dignitatis charitas præcedit, juxta illud Apost. 1. Cor. 13. *Major autem horum est Charitas*.

Petes 8. Utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus? Certitudo, de qua hic agitur, est firmitas adhesionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile. Potest oriri, vel ex sola motione voluntatis determinantis intellectum ad inherendum alicui objecto independentem ab alio legitimo motivo, ut contingit in hæreticis, qui quandoque firmius adherent suis erroribus, quam Catholici veritati fidei: & hæc est impropria certitudo, quæ magis debet dici pertinacia, quam certitudo. Vel oritur hæc firmitas

ex efficacia mediis, seu motivi determinantis intellectum ad assentiendum veritati: & hæc est propria certitudo, de qua queritur: Unde

R. (*Ibid. a. 8. o.*) Fides est certior quoad se omnibus cognitionibus naturalibus, non quoad nos. Prob. 1. Pars. (*Ibid.*) Fides habet certitudinem ex divina veritate, quæ falli non potest, & quæ veritatibus revelatis certò applicatur per Ecclesiam infallibilem; cognitiones verò naturales habent certitudinem ex naturali lumine rationis, quod (quantisvis objectum, circa quod versatur, quandoque sit certum) est tamen per peccatum tenetur involutum, & errori obnoxium; nec certum, in recte rebus apprehensis applicetur, ergo.

Prob. 2. Pars (*Ibid.*) illud dicitur magis certum quoad nos, quod intellectus plenius consequitur, quod est illi magis connaturale & proportionatum, quodque ipsum magis satiat & quietat, licet aliunde minus certò assentiatur; atqui cognitiones naturales sunt magis connaturales, & proportionate intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant & quietant propter rerum evidentiam, in qua ultimo quiescit intellectus humanus, quam fides, quæ est de obscuris & invidentiis; unde fit, quod, quamvis ex parte motivi sit certissima, patiatur tamen ex parte subjecti quosdam motus indeliberatos dubitationis propter debilitatem ingenii, nondum videns veritatem; ergo. Et bene nota, hoc solo sensu explicato juxta S. Th. fidem dici minus certam quoad nos; non verò, ut quidam male intelligunt, hoc sensu, quod intellectus magis certificetur per lumen naturale, quam per lumen fidei: unde conclusit S. Doctor, quod fides sit simpliciter certior, alia vero certiora secundum quid. Et q. 10. de verit. a. 12. ad 6. illa, inquit, *que sunt fidei, certissimè cognoscuntur, secundum quod certitudo importat firmitatem adhesionis: nulli enim credens firmius adheret, quam his, quæ per fidem tenent. Non autem cognoscuntur certissimè secundum quod certitudo quietationem intellectus in re cognita* (evidenter scilicet) importat.

Dices. Fidelis non est minus certus de hac disjunctiva: *Deus est Trinus, vel non est Trinus*, quam de hac parte determinata, *Deus est Trinus*: nihil enim est certius hoc principio: *Quodlibet est, vel non est*, in quo fundatur hæc disjunctiva; atqui disjunctiva assentiuntur lumine naturali, partim determinate lumine fidei: ergo. R. D. Min. Disjunctivæ assentiuntur lumine naturali, solo, N. Adjuncto lumine fidei, C. Ex hoc enim, quod fide tenet, Deum esse trinum, magis firmatur ad assentiendum toti disjunctivæ. Quod si questio esset de disjunctiva, cuius pars non esset revelata, & quæ solo lumine naturali cognosceretur, dicendum est, quod ejus assensus simpliciter esset minus certus, quam assensus fidei; quod inde patet, quia fidelis potius negaret disjunctivam, quam articulum, quem fide tenet. Cum autem dicitur, nihil esse certius hoc principio: *Quodlibet est, vel non est*: estò verum sit de certitudine quoad nos orta ex evidentia, ut explicitum, non tamen simpliciter, & ex parte motivi. Insuper non detulerunt, etiam doctissimi, qui revocarunt in dubium, an per potentiam Dei absolutam istud principium non possit esse falsum: sed nec necesse est ad veritatem responsionis, quod possit esse falsum; dantur enim gradus in certitudine, & potest una esse major altera, quamvis neutrius objectum possit esse falsum. Denique non est tam certum lumen rationis debite applicari per Ecclesiam veritati revelatæ. Plura hic spectantia require in Tract. de Deo, Dissert. Prooimial. art. 7. præsertim Obj. 2.

Petes 9. Utrum fides sit discursiva? R. negative. Quia, sicut eadem visione videmus colorem & lucem, sic eodem actu assentiuntur rei revelatæ, & revelationi; objectum enim fidei est res revelata, non materialiter, sed formaliter ut revelata: in discursu autem assensus principiorum realiter distinguitur ab assensu Conclusionis.

ARTICULUS II.

De habitibus fidei.

Superiori art. diximus, fidem subjectari in intellectu, ut in subjecto quo. Queritur nunc de subjecto quod, & in quibus personis reperitur. 1. An fuerit in Angelo & homine in prima sui conditione? 2. An sit in peccatoribus? 3. An in dæmonibus & damnatis? 4. An in Beatis & animabus in Purgatorio? 5. An in Hæreticis?

Dico 1. (*Hic q. 5. a. 1.*) In Angelis ante confirmationem & lapsum, & in primis Parentibus ante peccatum fuit

fuit fides. Prob. (*Ibid.*) ex Apost. Hebr. 11. dicente: *Accedentes ad Deum oportet credere*; atqui Angelus, & homo in prima sui conditione erant in statu accedendi ad Deum: ergo fide indigebant. Confirm. Angeli ante confirmationem, & lapsum, & primi parentes ante peccatum, erant in via ad beatitudinem, & peregrinabantur a Domino: qui autem sunt in via, ambulantes per fidem, & non per speciem, ut docet Apost. 2. Cor. 5. 1. ergo. Cum autem Aug. dicit l. 11. de Civ. c. 9. quod natura angelica nunquam sit peregrinata, intelligit, quod nunquam fuit extra statum gratiæ.

Dico 2. Fides remanet in peccatore, qui non committit peccatum infidelitatis. Prob. 1. ex Apost. 1. Cor. 13. ubi dicit: *Si habuerit omnem fidem... charitatem autem non habuerit, nihil sum*: quibus verbis aperte supponit, charitatem posse separari a fide remanente, siquidem fides posse esse in peccatore. 2. Ex Trid. Sess. 6. Can. 8. sic definit: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem... anathema sit*. Unde hæc conclusio est de fide. Hoc facit hæc propositio 18. ab Alexandro VIII. damnata: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiam videntur credere, non est fides divina*. Item hæc 52. Quæsell: *Fides non est absque amore, & fiducia*. 3. Ratione. Non omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius; sic, qui furatur, non ideo desinit credere, Deum esse primam, & infallibilem veritatem in dicendo: ergo. Quando autem SS. Patres dicunt, non esse fidem, aut ullam virtutem sine charitate, loquuntur de fide viva, & virtutibus in esse perfecto, ut jam monuimus.

Dico 3. In dæmonibus, & damnatis non remanet fides infusa, & supernaturalis. (*Ibid. a. 2. o. & ad 2.*) Prob. Dæmones, & damnati sunt spoliati omnibus donis gratiis, præsertim illis, quæ ordinantur ad beatitudinem, quam nec sperant, nec sperare possunt; atqui fides est donum gratuitum, ex sua natura ordinatum ad beatitudinem; est enim secundum Apost. *sperantium substantia rerum*, & secundum Tridentinum initium salutis, radix, & fundamentum justificationis: ergo. Confirm. Ad fidem supernaturalem requiritur pia motio voluntatis, seu bonus effectus credulitatis erga primam veritatem revelatam; atqui nulla est in dæmonibus, & damnatis pia motio voluntatis, nulla bona voluntas, quippe quæ est firmata in malo; & quamvis id, quod agunt, sit quandoque ex objecto proximo bonum, illud tamen semper agunt ex prava intentione finis, siquæ est semper malum.

Dices 1. Jacobi 2. dicitur: *Dæmones credunt, & contremiscunt*. 2. Fides non amittitur nisi per peccatum infidelitatis; atqui peccatum dæmonum, & peccatorum fidelium non est peccatum infidelitatis: ergo. 3. Character remanet in damnatis fidelibus; quidni & fides? 4. Dæmones, & Christiani damnati cognoscunt in inferno veritates supernaturales, quas cognoverunt in via, puta, Deum esse Trinum: & estò habeant evidentiæ revelationis, id non nocet fidei, ut dicitur est superius; atqui hæc veritates cognoscere non possunt nisi per fidem, quæ sola est supernaturalis inter virtutes intellectuales: ergo. 5. S. Th. infra q. 18. ponit differentiam inter fidem, & spem, quod fides remanet in damnatis, non spes: ergo. R. ad 1. Dæmones credunt fide infusa ex pia motione voluntatis, N. fide naturali, & quodammodo coacta, tum ex evidentia signorum, quæ perspicaci mentis acumine penetrant, tum miserabili experientia, qua Deum vindicem sentiunt, C. Neque refert, quod S. Jacobus comparet eorum fidem cum fide peccatorum, quæ est vera fides infusa; tenet enim comparatio, non quoad utriusque fidei naturam, sed quoad utriusque sterilitatem; quia neutra sufficit ad salutem, cum utraque sit sine operibus. Solutio patet ex textu. Dixi cum Auctore, (*Ibid. ad 1.*) quodam modo coacta; tum quia non videtur, quod fides dæmonum sit simpliciter coacta, ita ut ipsis nulla remaneat libertas negandi veritates fidei, sed aliquo modo, & moraliter tantum; eo fere modo quo projectio mercium metu naufragii dicitur coacta; cum enim non habeant evidentiæ rerum revelatarum, sed tantum evidentiæ in attestante, hæc non simpliciter cogit ad assensum rei revelatæ, quæ semper manet in se obscura, ut superius dictum est.

Ad 2. D. Fides non amittitur in viciis nisi per peccatum infidelitatis, C. In iis, qui sunt in termino, N. Amittitur enim in iis tum ex defectu pie motionis voluntatis, tum ex subtractione divinæ misericordiæ, quæ illam conservabat. Ad 3. N. Conseq. Disparitas est, quod fides

sit propter operationem salutis, cuius est initium, & fundamentum: cum ergo in damnatis non sit, nec initium, nec spes salutis, nulla est fides: character autem non est determinatè ad bonum opus, sed potentia infideliter ad bonum, & malum. Unde nihil obest, quin remaneat in damnatis ad eorum confusionem, & distinctionem ab Infidelibus, sicut remanet in Beatis ad eorum gloriam. Comparatur enim signo militari, quod colloquitur in viciis ad eorum confusionem, & viciis ad eorum gloriam. Fides autem comparatur armis, quibus spoliuntur vici. Adde, quod character sit indelebilis, non fides. Ad 4. N. Min. Fides enim, qua dæmones, & damnati credunt, & cognoscunt veritates supernaturales, licet dici possit supernaturalis ex parte objecti, est tamen naturalis ex parte motivi, seu principii, est enim acquisita, vel ex statu viæ, vel ex rerum eventu, vel ex Prophetis impletis, vel ex poënis, quas sentiunt. Sicut, si quis ex motivo merè naturali, puta, ex relatione parentum, aut alicujus viri docti, crederet mysteria nostra, licet hujus fidei objectum foret supernaturale, ipsa tamen in se, & ex parte principii foret naturalis. Ad 5. S. Th. non dixit, quod in damnatis remanet fides infusa, sed simpliciter fides, scilicet naturalis, & acquisita, cum nec talis spes in eis remaneat, quia spei, etiam si naturalis, objectum est bonum sperantis apprehensum ut futurum, quale non est in damnatis.

Dico 4. Fides non remanet in Beatis; bene tamen in animabus Purgatorii. (*1. 2. q. 67. a. 3. o. ib. in a. s. c.*) Prob. 1. pars 1. Ex Apost. 1. Cor. 13. dicente: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*: id est, cum venerit visio, evacuabitur fides. Unde Aug. l. 14. de Trinit. c. 2. *Neque enim, inquit, jam fides erit (in patria) qua credantur, quæ non videntur; sed species, quæ videntur, quæ credentur*.

Prob. 2. (*Ibid. o.*) Destructo objecto formali fidei, non subsistit fides; atqui in Beatis destructum objectum formale fidei; est enim objectum formale fidei prima veritas non visa, quæ intuitive videtur a Beatis: ergo. Hinc manet probata 2. pars; anime enim in Purgatorio (idem dicendum de Patribus, qui erant in Lybno) nondum fruuntur visione beatorum; siquæ remanet in ipsis objectum formale fidei, scilicet, prima veritas non visa. Adde, quod sperent beatitudinem, fundamentum autem spei est fides, cum nemo speret beatitudinem, nisi credat, se posse illam adipisci.

Dices contra 1. partem. 1. Irenæus l. 2. c. 47. & Tertull. l. de pudicitia, videtur docere, fidem remanere in Beatis. 2. Beati credunt futurum iudicium, corporum resurrectionem, & plures alias fidei veritates. 3. Paulus in raptu vidit essentiam divinam, & tamen non amisit fidem. 4. Remanet in Beatis plures virtutes morales, v. g. fortitudo, temperantia, &c. licet nullus erit earum actus, sed ad ornamentum tantum; quidni fides, quæ est nobilior virtutibus moralibus? R. ad 1. Irenæum, & Tertullianum potest intelligi de fide non secundum rationem formalem, quæ est de non visis, sed secundum aliquid sui, scilicet, secundum firmam certitudinem, quæ remanebit. Unde Irenæus dicit: *Semper fides, quæ est ad magisterium nostrum, permanet firma*; quasi diceret: cognitio de Deo remanet firma. Ad 2. N. Ant. Beati enim hæc, & alia cognoscunt, vel intuitivè in Verbo, vel extra Verbum per proprias species.

Ad 3. (*Hic q. 175. a. 3.*) Paulus in raptu non amisit fidem habitalem, quia visio non fuit ipsi permanentem communicata, sicut Beatis, sed transeuntem tantum; non habuit tamen actum fidei impossibilem cum actuali visione. Ad 4. N. Conseq. (*3. p. q. 7. a. 3. ad 1.*) Disparitas est, quod, licet fides sit nobilior virtutibus moralibus, quia versatur circa nobilissimum objectum, importat tamen imperfectionem respectivè ad illud, scilicet, invidentiam, & ideo non potest esse ornamentum in Beatis, qui vident clarè istud objectum: virtutes autem morales, cum non habeant imperfectionem respectivè ad suum objectum, possunt esse ornamentum in Beatis.

Dico 5. (*Hic q. 5. a. 3. o.*) Fides, sive habitualis, sive actualis non remanet in Hæretico, qui, vel unum tantum fidei articulum perniciter discret. Est communis cum Auctore contra paucos. Prob. 1. Ap. St. Galat. 5. v. 5. iis, qui sustinebant, observantiam legalium esse necessariam ad salutem, dicit: *Evacuati estis a Christo, id est, a Spiritu fidei*, ut explicat verum sequenti. Trid. Sess. 6. cap. 15. *Asserendum est, inquit, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, &c. quælibet autem hæresis, etiam circa unum tantum articulum, est infidelitas*.

Prob. 2. Ratione. (*Ibid.*) Cessante objecto formali, a quo

quo habitus, & actus specificantur, cessant, & destruntur habitus, & actus; atqui in Hæretico, qui pertinaciter negat vel unum articulum fidei, cessat objectum formale fidei, tam habitualis, quam actualis: ergo. Prob. Min. Obiectum formale fidei, sive habitualis, sive actualis, est prima veritas in dicendo ut manifestata per Ecclesiam; atqui, qui negat pertinaciter unum articulum fidei, non credit alios, quos tenet, propter primam veritatem ut manifestatam per Ecclesiam; alioquin & hunc, quem negat, crederet, cum sit etiam, sicut alii, revelatus a prima veritate, & propositus ut talis ab Ecclesia; sed hunc rejicit, & illos tenet ex proprio judicio, & propria electione. Unde Aug. l. 17. contr. Faust. c. 3. alloquens Manichæos: Qui, inquit, in Evangelio, quod vultis, creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.

Dices. Hæreticus huic articulum negat, non quia credit Deum, seu primam veritatem fallibilem in revelando, sed quia non apprehendit illum articulum ut revelatum; alios autem tenet, quia apprehendit illos ut revelatos, sicut in his, quos credit, salvatur debita submissio primæ veritatis. Neque enim necesse est ad fidem, quod credam primam veritatem ut manifestatam per Ecclesiam; cum Deus per alia media, quam per Ecclesiam, possit fidem infundere, ut per Prophetarum testimonia, per miracula, per lumen interius, &c. sicut infudit Adæ, Abrahamæ, Melchisedech, Apostolis, & adhuc nunc infundit Infantibus per Baptismum. Sed contra. 1. Quamvis non negetur, propositionem Ecclesie non esse absolute necessariam ad veram fidem saltem privatam, & eam posse a Deo infundi per alia media assignata; nulla tamen est ratio dicendi, quod hæreticus, de quo est questio, per hæc media illam habeat; & si illam haberet, esset animo paratus ad credendum omnia, que ipsi ut revelata proponerentur per Ecclesiam, cujus infallibilitas est etiam de fide. Quæro itaque, unde noscit hunc articulum, quem negat, non esse revelatum, & hunc, quem credit, esse revelatum, cum uterque proponatur ut revelatus ab Ecclesia, que est medium ordinariæ, ex quo constat de revelatione? Nihil aliud prorsus assignare potest, quam proprium iudicium, quo sibi persuadet, hunc esse revelatum, & non istum. Unde dici non potest, quod unum credat propter primam veritatem, si quidem prima veritas sit utriusque equaliter applicata per Ecclesiam. 2. Qui negat articulum fidei, ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesie in proponendis, & discernendis revelatis; atqui hæc Ecclesie infallibilitas est articulus fidei, a prima veritate revelatus in Scripturis: ergo, negando hunc articulum, negat primam veritatem esse infallibilem in revelando, sicut cessat absolute in eo motum formale fidei pro omnibus; cum enim istud motum sit indivisibiliter unum, & idem, dum cessat pro uno, cessat pro omnibus: sicut si quis probet decem Conclusiones ex uno principio, qui istud negaret in una, negaret in omnibus.

Prob. 3. ab inconvenienti. Si hæreticus, negans unum articulum, retineat fidem, esset fidelis; dicitur enim fidelis, qui habet fidem; atqui consequens est contra sensum communem: ergo.

Respondent, non habere integram fidem, sed partem tantum; fides enim est totum integrale constans partibus; & ideo non debet dici fidelis. Sed contra: licet fides ex parte objecti sit totum integrale, quatenus respicitur a Deo revelata, in ratione tamen habitus, & qualitatis est una, & simplex in unoquoque credentium; quia inclinatur ad assentiendum pluribus sub uno, & eodem indivisibili motivo, scilicet, propter primam, & infallibilem veritatem in dicendo. Unde vel perit totus, & integer in hæretico, vel remanet totus, & integer: si primum, habemus intentum; si secundum, sequitur inconveniens oppositum.

Solvuntur Objectiones contra ultimam Conclusionem.

Obj. 1. Apostoli in triduo mortis scandalum passi amiserunt fidem in Christum, neque tamen ideo amiserunt fidem circa alia mysteria, puta, circa Trinitatem. Item Marci ultimo Christus exprobrat illis incredulitatem, quia isti, qui viderant, eum resurrexisse, non crediderunt: & Thomas dicitur incredulus; atqui tamen non amiserunt prorsus, & in omnibus fidem: ergo. Idem die de Moysse, qui dubitavit, an posset habere aquam ex silice; & de Zacharia, qui non credidit, se habiturum filium. R. Ad 1. Apostolos in triduo mortis scandalum passos fuisse, non negando interius Christum, sed non confitendo exterius.

Ad 2. Apostoli redarguuntur, Moyses, & Zacharias pu-

nuntur, non quod essent pertinaces in negando aliquo articulo fidei sufficienter revelato; sed quod tardi essent ad credendum, quod erat sufficienter revelatum, ut tenerent credere sub venialibus, non tamen sufficienter, ut tenerent credere sub mortalibus. Unde hærebant sine pertinacia, & cum animo parato ad credendum omnia, aperte, & sufficienter revelata; sicque non erant hæretici.

Obj. 2. Aug. l. de unico Baptismo c. 5. Judæo ad Ecclesiam accedenti dicit: Tene fidem resurrectionis mortuorum, sicut tenebas: sed credi, jam Christum resurrexisse a mortuis, quod non credebas. Et similiter Hæretico: Tene Christianum Baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. sicut tenebas: sed agnosce Christi Ecclesiam, toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas: ergo Judæus juxta Aug. habebat veram fidem resurrectionis mortuorum, & hæreticus Baptismatis. R. D. Cons. ergo Judæus, & hæreticus juxta Aug. habent veram fidem naturalem, & acquisitam, C. supernaturalem, & infusam, innoxiam divinæ auctoritatis ab Ecclesia propositæ, N. Hanc esse mentem Aug. constat; quia ibidem patitur dicit Idololatæ: Tene, ab uno vero Deo mundum esse, quod tenebas: sed noli credere, Deos esse lingua, & lapides, & ipsius mundi particulas, quas colebas. Sicut autem fides istus Idololatæ, qua credit Deus esse mundi conditorem, non est supernaturalis, & infusa, ita nec fides Judæi, & Hæretici.

Inst. Aug. l. de patientia c. 26. dicit patientiam Schismatici, qui, ne Christum neget, patitur tribulationes, esse donum Dei: ergo ejus fides est supernaturalis. R. Quod fides Schismatici sit donum Dei, ex parte objecti; si enim Deus non revelasset mysteria fidei, nunquam ea cognovisset: Non est autem donum Dei ex parte principii, seu motui credendi; non enim credit propter divinam veritatem revelantem, alias omnino crederet. Unde D. Cons. Hujus fides est supernaturalis ex parte objecti, C. ex parte principii, N.

Obj. 3. Hæreticus post hæresim eadem firmitate, & facilitate credit articulos, quos tenet, ac antè; atqui hæc firmitas, & facilitas non possunt provenire, nisi ab habitu fidei: ergo. R. N. Min. intelligendo de fide supernaturali; nam contingit, quod Hæretici eadem firmitate, & facilitate credant, & teneantur, non solum articulos fidei, sed ipsos suos errores, ita ut aliquando pro iis asserendis moriantur. Firmis ergo hæc provenit ex sola pertinacia voluntatis: facilitas autem provenit ex habitu fidei acquisito, sive, juxta aliquos, per actus præcedentes fidei, non quia supernaturales, sed quia vitales; sive juxta alios, per actus fidei naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti: sæpè enim fidelis, vel ex instructione Parentum, vel ex Doctrina Catechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus fidei, qui, cum sint naturales ex parte principii, generant habitum pariter naturalem, qui remanet in hæresi.

Inst. 1. Hæretici dicunt, se recipere quatuor Evangelia ut verbum Dei, & se assentiri contentis in eis propter auctoritatem Dei revelantis: non esse autem ratio, cur arguamus eos mendacii: ergo. R. Sic equidem dicunt Hæretici, & sic existimant: unde non arguimus eos mendacii, sed falluntur; cum enim prima veritas sit infallibilis simpliciter & in omnibus; qui hanc infallibilitatem negat in uno, non credit alia propter illam. Hanc autem negat Hæreticus in articulo, quem discedit, ut probatum est; tum quia, cum prima veritas sit equaliter omnibus applicata, non potest esse ratio, cur unum credat, dum alterum negat, sed hujus ratio est proprium iudicium, tum quia, negando unum articulum ab Ecclesia propositum ut revelatum, negat infallibilitatem Ecclesie; quæ est a Deo revelata; sicque negat primam veritatem esse in omnibus infallibilem.

Inst. 2. Possum fide humana credere homini dicenti unum, & non credere dicenti aliud: ergo similiter in fide divina. R. N. Cons. Disparitas est 1. quod homo non sit universaliter infallibilis in dicendo, secus Deus. 2. Quod auctoritas hominis dicentis non sit solum motum credendi ea, quæ dicit, sed etiam eorum verisimilitudo; quoad autem sunt alii verisimiliora. At in fide divina tota ratio credendi est prima veritas infallibilis in revelando.

Inst. 3. Possum errare circa aliquam conclusionem unius scientiæ, & tamen non amittere habitum istius scientiæ circa conclusiones: ergo similiter.

R. N. Cons. Disparitas est, (Hic art. 3. ad 2.) quod in diversis conclusionibus unius scientiæ sunt diversa media, per quæ probantur, quorum unum potest cognosci sine alio. Unde homo potest scire quasdam conclusiones, ignorantibus aliis: ac omnibus articulis fidei fides in hæretico

ter

ter unum medium, nempe, propter primam veritatem propositam nobis per Ecclesiam; & ideo, qui ab hoc modo decidit, totaliter fide caret.

Inst. 4. Possum servare unum mandatum, & non aliud, puta, audire Sacrum, & non jejunare: ergo similiter possum credere unum articulum, & non alios. R. N. Cons. (Ibid. ad 3.) Disparitas est ferè eadem; quia scilicet diversa mandata possunt observari saltem quoad substantiam propter diversa motiva proxima, puta, propter honestatem cuique propriam: at unicum est fidei motum, nempe prima veritas revelans infallibiliter in omnibus, quam ideo, qui rejicit in uno, rejicit in omnibus.

Inst. 5. Possum servare unum mandatum ex motivo communi omnibus, & non aliud: sic possum audire Sacrum ob auctoritatem Dei jubentis, & non jejunare: possum diligere unum proximum propter Deum, & non alium: possum ex motivo justitiæ solvere uni, & non alteri: ergo pariter possum credere unum articulum propter primam veritatem, & non alium. R. 1. N. Ant. (Ibid.) Qui enim ex perfecta obedientia, puta, propter honestatem auctoritatem Dei jubentis unum mandatum observaret, omnia servaret: si ex solo Dei amore unum proximum diligeret, omnes diligeret; & si ex solo amore justitiæ uni solveret, solveret & alteri. Ab his ergo generalibus motivis decidit, qui unum mandatum transgreditur; & hoc sensu dicitur Jacobi 2. Qui offendi in uno, factus est omnium reus. R. 2. Dato Ant. N. Cons. Disparitas est, quod in observatione mandatorum occurrere possint plura obstacula erga unum, & non erga aliud: at articulis fidei, hoc ipso quo dicitur propter divinam auctoritatem, non est difficultas unum credere, quam aliud.

Inst. 6. Unus actus contrarius habitui, v. gr. temperantia, non destruit illum: ergo unus actus hæresis contrarius habitui fidei non destruit illum. R. N. Cons. Disparitas est, quod unus actus contrarius habitui acquisito, puta, temperantia, non tollit rationem formalem ejus objecti: unus autem actus hæresis tollit rationem formalem objecti fidei, ut probatum est. Unde quidam inutiliter hic laborant in inquirendo, quomodo unus actus hæresis destruat habitum fidei? an physice, an moraliter, an per modum causæ formalis, vel efficientis, an mediatè, vel immediatè?

Patet enim ex dictis, ipsum destrui ad destructionem objecti sui formalis. Cum ergo Hæreticus, negans unum fidei articulum, neget primam veritatem, & per hunc actum physice destruat in suo intellectu objectum fidei, eodem modo destruit mediatè habitum fidei.

Dices. Theologia remanet in Hæreticis: ergo & fides. Patet Cons. Quia Theologia nititur principiis divina fide creditis. R. N. Ant. Saltem loquendo de Theologia, quæ sit ejusdem rationis cum nostra; quia, licet habeat idem obiectum formale quod, non habet tamen idem obiectum formale quo, nimirum virtuale, & mediatam revelationem: obiectum autem formale quod non specificat, nisi ut substat objecto formali quo. Vide Diss. Procem. ad Tract. de Deo a. 5. sub finem.

Petes, utrum fides possit esse major in uno, quam in alio? R. (Ibid. a. 4. o.) non posse esse majorem ex parte objecti formalis, quod in omnibus est unum, & simplex, nempe prima veritas; sed posse esse majorem, tunc ex parte objecti materialis, quatenus unus plura credit explicitè, quam alter; tunc ex parte objecti, scilicet intellectus, qui certius, & firmius altero adhæret primæ veritati; & voluntatis, quæ promptius, & devotius se submittit Deo revelanti. Neque solum fides potest esse major in uno, quam in altero, sed in eodem diverso tempore: quia idem potest modò firmius, modò minus firmiter, modò devotius, modò minus devotè rebus divinis assentiri. Unde Apostoli Jac. 17. dicebant Christo: Adauge nobis Fidem, & nos in Collecta Dominicæ 13. post Pentec. oramus: Da nobis fidei, spei, charitatis augmentum S. Th. q. 6. probat, fidem, non solum formatam, sed etiam informem, esse a Deo, tum quoad credibilia, quæ ab ipso solo revelari possunt; tum quoad assensum, qui est supernaturalis. Ista constant ex his, quæ diximus in Tract. de Gratia contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos. Q. 7. probat, duplicem esse effectum fidei, timorem scilicet, tum servilem, cum filialem, & purificationem cordis. Ex apprehensione mali pœnæ per fidem causatur timor servilis: ex apprehensione mali culpæ causatur timor filialis. Per fidem secundum se removetur impuritas erroris; per fidem autem formatam removetur impuritas affectus.

DISSERTATIO V. DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Fidei opponitur Infidelitas: Confessioni Fidei opponitur blasphemia. De utroque vitio dicendum in presenti Dissert. Unde sit

ARTICULUS I.

De Infidelitate in communi.

PER QUÆSTIUNCULAS.

Infidelitas (Hic q. 10. a. 1. o.) in communi est carentia fidei: & est vel negativa, vel privativa, vel contraria. Infidelitas negativa est carentia fidei in eo, qui nihil audit de fide, vel non audit sufficienter. Privativa est carentia fidei in eo, qui audit sufficienter de fide, & non vult ei assentiri, absque eo tamen quod contrarium asserat. Contraria est carentia fidei in eo, qui sufficienter de fide instructus non solum detestat illam amplecti, sed etiam contrarium asserit, & errorem positivum contra fidem sustinet. Equidem Auctor hic duas tantum infidelitates numerat, negativam, & contrariam, sed contrariam paulò latius intelligit, prout comprehendit etiam privativam; dicit enim ibidem: Potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem; qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei: En infidelitas proprie contraria; vel etiam contemnit ipsam: En privativa.

Petes 1. Utrum infidelitas sit peccatum? R. 1. (Ibid.) Infidelitas merè negativa non est peccatum, sed pœna peccati. Prob. 1. Christus Jo. 15. dicit de Judæis: Si non venissem, & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent. Quod exponens Aug. Tr. 89. in Jo. dicit, quod Christus loquatur de peccato, quo non crediderunt in Christum; infidelibus autem negativè Christus neque per se, neque per suos ministros locutus est, saltem sufficienter. 2. Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Nemo peccat omittendo, quod facere non potest; atqui, qui nihil audiverunt de fide, aut non audiverunt sufficienter, non possunt credere, juxta illud Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audiverunt? Perinde est, ac si diceret: credere non possunt. 3. Hæc proposit. 65. inter Bajanæ: Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est, damnata est a S. Pio V. & Greg. XIII.

Si dicas, omnem Infidelitatem esse voluntariam in Adamo. Item & voluntate propria; quia dantur omnibus auxilia sufficientia ad fidem. R. Quantum ad 1. omnem Infidelitatem, prout pertinet ad peccatum originale, cujus est pars, esse voluntariam in Adamo. At hoc voluntarium in capite non sufficit ad constituendum peccatum personale distinctum ab originali, quod hic quaeritur; ad illud enim requiritur voluntarium proprium, & personale. Secundum plene solutum est in Tract. de Deo, Diss. 7. obj. 5. Require. R. 2. (Ibid.) Infidelitas privativa, & contraria est peccatum: 1. Quia nemo condemnatur, nisi propter peccatum: Qui autem non crediderit, condemnabitur Marc. ultimo. 2. Quia fides est medium necessarium ad salutem: ergo is, cui sufficienter proponitur, tenetur eam acceptare.

Petes 2. Utrum Infidelitas sit in intellectu? R. (Ibid. a. 2. o.) esse in intellectu, tanquam in subjecto, pendere tamen a voluntate movente; quia, quæ privativè, vel contrariè opponuntur, sunt in eodem subjecto: Fides autem, cui Infidelitas opponitur, est in intellectu, tanquam in subjecto, dependens tamen a voluntate movente: ergo.

Petes 3. Utrum Infidelitas sit maximum peccatorum? R. (Ibid. a. 3. o.) esse ex genere suo gravius omnibus peccatis, quæ sunt contra virtutes morales; quia est magis directe contra Deum, quem virtutes Theologicæ habent pro objecto, quam peccata, quæ sunt contra virtutes morales. Dixi: Ex genere suo; quia ex circumstantiis peccata contra virtutes morales possunt esse graviora. Dixi etiam

D

Pecc